

ubique spirans, qui inter reliqua *εὐρήματα* ad denigrandos eos & contemptui exponendos hoc quoque operose adhibuit, ut quoquo modo persuaderet legentibus atque audientibus, Lutheranos, quicquid usquam fuerit haeresium, confarcinavisse, & novo sub habitu protrussisse in lucem. Operosus est hac in re, sed per Numinis gratiam veritate adhuc invicta & adversus ejus insultus & convitia immuni. Vellemus enim, ut si quibus inter sagaciores ex Pontificiis adhuc aliquid timoris Domini superest, attentione quadam legerent L. IV. Tomi II. de *Controversiis*, ejusque Caput IX. ubi haereses nobis veteres ultra XX. imputat; & facile ipsis apparet, per DEI gratiam ne unam quidem doctrinae nostrae maculam aut ex haeresibus illis aut aliis adhaerere. Alter est GVIL. LINDANUS Opere Panopliae suae Evangelicae, magnum nomen inter suos promeritus, qui dum Lutheranos refutaret, haereses omnes refutavisse se arbitratus est, nec veretur in Praefatione eos, *uti Pythagoras in Euphorbum, ita in Wiclefum aut Hussium quempiam, imo in Jovinianum atque Vigilantium esse renatos; quae doctrinam suam repleverint novis, imo ex veteribus potius haeresibus recoctis commentis, eamque tamen pro Apostolica venditare audeant.* Pergit homo, & conscientia cauteriata ductus, cum probe nosset, quod nobis vitio vertit, meliori jure in eos, quorum sectam profitebatur, retorqueri posse, talia verba subjungit, quae ad nos defendendos potius pertinebant: *Quod nunc diabolus sua vera nomina piis DEI filiis semper per haereticos affingat. Qui enim sunt, quos illi haecenus scommatibus & nominibus Satanicis exceperunt, quam Evangelici? Istum in modum pro callida ingenii vasritie se solet astutus ille veterator, infestissimusque salutis humanae hostis Satanas in angelum lucis transformare, ut facilius pro prisco impotenti illo suo surri-*